

DE REBUS ECCLESIASTICIS

Res ecclesiasticæ dicuntur omnia quæ geueratim, præter personas et iudicia, referuntur ad ordinem supernaturalem. Res illæ sunt *spirituales* vel *temporales*: *spirituales*, quæ directe referuntur ad gloriam Dei in ordine spirituali et ad animarum sanctificationem, nempe ad bona supernaturalia quibus concipitur, sustentatur et dilatatur vita interior Ecclesiæ; *temporales*, quæ referuntur ad sustentationem corporalem ministrorum Ecclesiæ et pauperum, aut cultui divino et educationi christianæ inserviunt.

Inter res spirituales adnumerantur gratia et dona Spiritus Sancti, de quibus non fit sermo in iure canonico, sacramenta, sacramentalia, indulgentiæ, preces, festorum celebratio, quæ gratiam conferunt aut ad illam disponunt. De rebus spiritualibus non erit disserendum in hoc brevi compendio, nos remittentes alumnos ad opera theologiæ dogmaticæ et moralis.

Inter res temporales computantur ecclesiæ, cœmeteria, scholæ, beneficia, etc., de quibus sermonem sumus habituri. Præmissa dissertatione de iure Ecclesiæ ad res temporales, totam materiam evolvemus in sequentibus titulis:

- I. De rebus Ecclesiæ temporalibus in genere ;
 - II. De ecclesiis et oratoriis ;
 - III. De altaribus et suppellectili ecclesiarum ;
 - IV. De cœmeteriis ;
 - V. De scholis, semiuariis et universitatibus ;
 - VI. De beneficiis ecclesiasticis ;
 - VII. De foundationibus.
-